



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio XXVI. Christianus omnem suam collocare debet consolationem  
in meditatione Passionis Jesu Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**

ternam: divinus Pater tuus amat te, de hoc quoque certus sum, nihil denegare is tibi potest, quidquid postulaveris ab ipso pro me. Jam tu incessanter postulas ab ipso, ut exhibeat mihi misericordiam; sacra vulnera tua loquuntur pro me; adorandum cor tuum, ipsius apertum oculis, sollicitat ipsum immenso cum amore, quem ostendit mihi, dum terebrari & perforari pro me voluit in Cruce. Nonne bene sperandi habeam ansam, quod non obstantibus meis mi-

seriis nunquam sim periturus. Loquere Cor amabile Redemptoris mei. Et quia pro me loqueris, patere, ut cor meum uniat se tecum, ut dicat in te, per te, & tecum, quidquid dixeris in favorem meum. Mirè oblector vobis, adoranda vulnera adorandissimi Salvatoris mei; nolo amplius occupari alio, nisi dolorosâ hâc passione, quæ vos produxit. Argumentum hoc erit trium sequentium Consultationum.

## CONSULTATIO XXVI.

*Christianus omnem suam collocare debet Consolationem in Meditatione Passionis Jesu Christi.*

Sanctus Carolus Borromæus præparat se ad mortem per meditationem Passionis Jesu Christi.

**M**agnus Cardinalis sanctus Carolus Borromæus, sentiens appropinquare finem suum, è vehementissimo divini ignis, quo consumebatur cor ipsius, incendio, & novis zeli sui ardoribus, exhaurientibus residuum pretiosæ hujus vitæ, quam totam consecraverat divini amoris servitio, eo nomine vice ultimâ in suam se contulit solitudinem, seque disposuit ad magnum iter æternitatis suæ in monte Varallo, ubi sculptis imaginibus Dominicæ Passionis mysteria ad vivum repræsen-

tantur in diversis facellis, quorum quodlibet exponit oculis specialem patientis & morientis Salvatoris effigiem: eòquod crederet, quòd, postquam amabilem Salvatorem suum pedetentim secutus fuerat toto decursu vitæ suæ, hanc melius concludere non posset, quàm implendo animum suum idæis ac imaginibus, & cor suum affectibus & desideriis sanctissimæ mortis ipsius.

Cùm aliquatenus imitari vellemus pietatem sanctissimi hujus Præfulis, ad finiendum totum, quod arripimus iter: adhiben-

Rrrr 3

do

do infirmos conatus nostros in inquirendis & admirandis ubique excellentiis Jesu Christi, invisere statuimus devotissimam quamdam solitudinem, quam incolebat optimus quidam Dei servus, nomine Spiridion. Novimus, ipsum valedixisse mundo, jam ante quadraginta annos, & cognita ipsius vanitate, gloria & voluptatum ipsius vilitate, elegisse abjectum & absconditum esse in domo Dei, ut deinceps non viveret nisi ex amaritudinibus Passionis Redemptoris sui, quæ millies suaviores videbantur ipsi, quam Manna, quod Deus depluerat olim de cælo filiis Israël in deserto.

Nolens igitur aliam deinceps habere occupationem, nisi illam de Passione & morte Salvatoris Jesu Christi, secessit in montem quemdam, quem suam nuncupavit Calvariam, ubi tria exstruxit sacella, in quibus non tam representavit sigillatim cuncta mysteria passionis, quam affectus, quos exin volebat haurire. Hinc pergrato percussus fuimus stupore visitantes illa, edquod omnia alia inveneramus in illis, quam credideramus. Nec minus admirati sumus ipsius colloquia, ipsius cognitiones & lumina, ipsius affectus & desideria, de quibus informationem nobis dedit, postquam tam longo tempore, tamque profunda medi-

tatione scrutatus fuerat hoc mysterium: nos autem nostram, quam speravimus, invenimus consolationem.

Ipsè cum videret, nos eo nomine ad se venisse, ut loqueremur secum de eo, quod tam efflictim desiderabat, & quo suum ita refertum habebat animum, ut de alio loqui non posset, nobis illic hoc dedit monitum. Memineritis, tenebras dispersas fuisse super universum orbem tempore Passionis Domini, ad insinuandum nobis, totum mundum cæcum esse respectu magni hujus mysterii, & neminem hinc quidquam videre. Sol, qui naturalis lux est magni hujus mundi, suspendit illam per Ecclipsin quamdam universalem, quæ naturaliter est impossibilis, ad erudiendum nos hoc prodigio, quod omnia lumina naturalia intellectus humani inutilia sint ad comprehendendum, quid sit, quod Deus immortalis mori voluerit pro hominibus. Et hoc dicens, permansit immobilis brachiis expansis, & oculis, qui duo fontes lachrymarum erant, in cælum sublatis.

Et paulò post iterum incipit: Eheu! quod infinita Sanctitas Dei tulerit supplicium, quod homines merebantur peccatores, hi terræ vermiculi, magni ipsius inimici. Totus quasi

Videtur totus mundus cæcutire circa Passionem Jesu Christi.

Pessimum est quasi cœcutit mundus respectu indicium, insensibilem esse ad Passionem Jesu Christi.

magnæ hujus veritatis, unde omnes tantum trahunt emolumentum: Nos nihil hic videmus, quod equidem benè apparet; oporteret enim omnia discindi & conteri corda sicut discissæ & contritæ sunt petræ, & quali nemo hoc recogitat mente. Teneo evidens esse reprobationis signum in aliqua anima, quando participem se non reddit Passionis Redemptoris sui; siquidem quâ aliâ viâ suam sperare poterit salutem? Quando non tangitur beneficio Redemptionis suæ, timeo, ne Redemptio tam copiosa, quam Salvator extendere voluit ad omnes peccatores, non tangat ipsam, id est, ne ipse non fiat particeps ex funesta insensibilitate & obduratione suâ. Et quando aspicere potest ipsa Jesum Christum in Cruce siccis oculis, velut objectum quoddam indifferens, è quo nihil trahat utilitatis, recordor verborum, quæ dixit sancto Petro in vespera cœnæ, quæq; timore ac tremore perculserunt ipsum: *Si non laveris te, non habebis partem mecum.* Si aspectus Jesu Christi patientis ex amore erga me, non eliciat mihi lacrymas ex oculis, timeo, ne nulla sit mihi pars sanguinis, quem effudit pro me in Cruce.

Alio prorsus est opus lumine, quàm lumine naturali, ad obti-

nendam intelligentiam mysteriorum passionis Jesu Christi: specialis requiritur gratia, ad concipiendos erga illam & circa illam veros affectus, vera sensa & judicia; & quia pretiosissima hæc est gratia, & principium, è quo plures dependent aliæ, hinc profundâ cum humilitate, magno cum spiritûs fervore, & diurnâ cum perseverantia postulanda est à Deo. Qui semel obtinuit ipsam, felicissimus à me æstimatur pro tempore & æternitate; poterunt illi verba dici, quæ sancto Job dixi Deus: *Ingressus es thesauros nivis, & thesauros grandinis aspexisti; per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.* Ingressus est ipse thesauros nivis, id est, scaturiginem inexhaustam gratiarum, quæ nigerrimas quasvis peccato dealbant animas; Aspexit ipse grandinis thesaurum, id est, armamentarium potentissimorum armorum, quibus conterit Deus inimicos salutis nostræ: Vidit ipse, per quam viam divina spargantur lumina super universam terram. Omnia Redemptoris vulnera effundunt cœli lumina hæud aliter, quàm effundant è venis ipsius sanguinem, ad illuminandum & sanctificandum animas: Cognoscit ipse tandem proprio experimento suo, quomodo dividat calorem suum: impossibile enim est, com-

Job. I. v. 12;  
& 24.

Felix qui intelligit & afficitur Passione Jesu Christi,

Joan. 13.

commorari in medio, quem amabilissimus JESUS ostendit nobis in passione suâ, amoris incendio, citra id, quòd quis sentiat totum cor suum inflammatum amore maximo erga ipsum.

Primum hoc solitarii nostri alloquium induxit animo spem, quâ credebamus, haud in vanum venisse nos, optimèque laborem, quem inquirendo ipsum exantlavimus, solvendum fore consolationibus, quibus ipsius demulsuri nos erant sermones. Experiebamur in nobis ipsis maximum desiderium aspiciendi interiora omnium Sacellorum

ipsius: sed erant hæc sanctuaria, quæ studiosissimè servabat occlusa, velut Deo & sibi soli reservata arcana: hinc nonnisi vi precum obtinuimus, ut referret nobis illorum primum. Primâ fronte, dum nos conduxit illuc, exaratum vidimus supra portam magnis characteribus: *Gaudium & exultationem obtinebunt.* Verba hæc, quæ parum concordare videbantur cum amaritudinibus Passionis JESU Christi, augebant in nobis desiderium aspiciendi quantumvis, quid hoc tibi vellet mysterium: Et ecce quid ostensum sit nobis.

## ARGUMENTUM.

*Anima Christiana maximas invenit causas gaudii, considerando Passionem JESU Christi.*

### ARTICULUS I.

Gloria Dei viventis & gloria Dei morientis occurrunt & ununtur sibi invicem,

SUNT, qui credant, nonnisi lachrymis indulgendum esse & dolori, dum opera navatur considerandæ Passionis Domini & Salvatoris nostri: sed illicò hoc exempti ac soluti sumus errore, dum aperto primo hoc sacello non aspeximus ubique nisi symbola & insignia lætitiæ. Depingi curaverat Spiritus in medio imaginem JESU Christi Crucifixi & Agonizantis; Sed imago hæc erat tota circumfusa luce aureâ, velut sol,

cujus radii sese diffundebant ubique & velut infinitis lineolis auréis contegebant omnia, quæcunque in illo sese offerebant oculis oratorio. Aspiciebatur in excelsis imago Sanctissimæ Trinitatis, in qua omnes tres Divinæ Personæ apparebant velut absconditæ in tanto luminis splendore, ut vix discerni possent, & omnes radii egredientes è Crucifixo perdebantur in immensa illa claritatis abyssu, ita ut disparerent ob nimium splendorem facti invisibilis. Et

Symbolum  
gloriz Passio-  
nis Jesu Chri-  
sti.

Et circumcirca hunc thronum  
Majestatis Dei videre erat legio-  
nes innumerabiles Angelorum  
& Beatorum, qui omnes attol-  
lebant manus versus Crucifixum,  
dum interim fixis intuebantur  
oculis sanctissimam Trinitatem.  
Difficile erat diu fixos tenere o-  
culos in gloriosam hanc imagi-  
nem quin Majestatis ipsius ob-  
tunderentur splendore: demit-  
tebamur igitur quantocyus illos  
versus parietes sacellum illud cir-  
cumdantes, ubi pro eo, quod de-  
picta essent instrumenta passio-  
nis, cernebantur nonnisi palmae,  
corona, texta floribus frugibus-  
que ornamenta, ex una parte;  
ex altera videre erat Choros  
Musicorum, pluresque numero-  
sas catervas diversarum natio-  
num, quae raptae videbantur in  
admirationem, e quibus non-  
nullae apertos in Crucifixum te-  
nebant oculos, & brachiis in cru-  
cis modum supra pectus collo-  
catis; aliae sublata tenebant illa  
in situ & figura, quasi plaudere  
voluissent manibus; & ex alia  
adhuc parte spectandas se prae-  
bebant plures exhibitiones diver-  
sorum triumphorum, in quibus  
victoriosi trahebant ingentem  
multitudinem devictorum mon-  
strorum, non alia in manibus te-  
nentes arma, quam Cruces.

Spectaculum tam novum,  
tamque mirabile pro nobis, qui  
nil minus illo expectabamus, ali-

quandiu defixos nos tenuit in si-  
lento, attentosque ad conside-  
randum id, quod vidimus; &  
cum nihil hic nobis occurreret,  
quod insinuaret & statueret ob  
oculos opprobria & dolores Pas-  
sionis Jesu Christi, conversi ad  
Spiridionem diximus ipsi: Est-  
ne hoc, quod nuncupas sacellum  
Passionis Jesu Christi Domini  
nostri? Ita fratres mei, respon-  
dit nobis, ecce veram ideam  
Passionis Salvatoris mundi. Sic  
coelum aspicit illam; sic omnes  
Beati contemplantur illam; sic-  
que omnes mortales considerare  
deberent illam, velut seaturigi-  
nem omnis gloriae Dei extra se-  
metipsum, & omnis veri ac soli-  
di gaudii, qui implere potest felici-  
tate corda Angelorum & homi-  
num intra semetipsum. Anima,  
quae bene degustare nosset fru-  
ctus Passionis Redemptoris sui,  
quorum hic nonnisi tenuem  
quamdam aspicitis delineatio-  
nem, quos autem reipsa suis il-  
la complectitur manibus, gloriari  
posset, beatam se esse jam in vita  
praesenti.

Et desuper exorsus est decla-  
rare nobis arcanum mirabilem  
luminum, quae Deus ostenderat  
ipsi in continua consideratione,  
quam a tantis jam annis institue-  
bat circa ingens hoc mysterium,  
quae sane plurimum nobis affe-  
rebant consolationis, sed relinque-  
bant quoque plura adhuc consi-  
deran-

Ssss

deran-

Solidissimum  
animarum  
gaudium ori-  
tur ex Passio-  
ne Jesu Christi.

deranda, quam ex ipsius percipiebamus ore; siquidem videbamus probè, ipsum occultasse & retinuisse pro se solo sublimissimas quas in intellectu suo habebat cognitiones, & nobilissimos, quos in intimo corde suo gerebat, affectus. Amplectebatur, quod docent Patres vitæ spiritualis, qui tenent, velle Deum ut anima specialibus ipsius favoribus locupletata, fidelissimum servet ipsi arcanum, & esse aliqua, quæ non vult quemquam scire, nisi immediatè à semetipso addiscat illa. Incepit igitur ita nobis loqui.

Jesus Christus in Cruce patitur horrorem oculis carnis, sed delicias oculis mentis, Nihil magis abhorrent oculi carnis, quam cruentum & crudele spectaculum Passionis Jesu Christi; sed delectabilius nihil est oculis Dei, sanctorum Angelorum, Beatorum, & omnium bonarum animarum, quæ aspiciunt illam oculis lumine spirituali, à cælo nobis profecto, illustratis. Hinc mox ab initio declaravi vobis, solem, qui lux est mundi, ecclipsatum fuisse tempore Passionis Jesu Christi. Relinquamus lumina naturalia, si cognoscere quidquam velimus pulchritudinum ipsius, nosque dignos reddamus, ut conferat nobis Deus parvum quemdam divinorum luminum suorum radium, mediante quo clarè videbimus, quòd omnia prodigiosa hic existant & mirabilia: Lu-

mina naturalia nonnisi apparentiam nobis ostendunt & speciem; divina detegunt nobis ipsam veritatem.

Videtur hic Jesum Christum Jesus Christus crucifixus est principium gloriæ Dei Patris sui. pendentem è Cruce inter maxima tormenta, mortisque agonem. Oculi carnis non vident ipsum, nisi totum coopertum plagis, dilaniatum virgis, oneratum opprobriis, doloribus, ignominis; & hoc plerumque conciliat ipsis nonnisi horrorem, vel fortassis excitat in ipsis compassionem naturalem, quæ non est quid magni. Sed oculi fidei intuentur ipsum in hoc statu tantà refulgentem gloriâ & Majestate, ut ipse sit principium omnium excellentiarum, & omnis externæ gloriæ Patris sui in instanti mortis suæ supra Crucem, sicut Deus Pater ipse est principium omnis magnificentiæ & gloriæ suæ essentialis in instanti Nativitatis suæ æternæ, in sinu divinitatis suæ: ita ut, sicut ipse non habet gloriam aliquam internam & essentialem, nisi illam, quam recipit à divino Patre suo, quando communicat hic ipsi esse suum & divinam vitam suam; ita Pater ipse æternus non habeat gloriam exterioriorem & accidentalem profectam ab hominibus, nisi illam, quam recipit ex magno sacrificio Passionis ipsius, quando hic se immolat supra Crucem

cem pro reparatione injuriæ infinitæ, quam recipit à peccatis hominum.

Nonne videtis etiam, quòd radii gloriæ prodeuntes ex hoc Crucifixo, sese extendant ubique, ad deaurandum omne id, quod est extra ipsum, quòdque tandem omnes immergant se in magnum hunc gloriæ Trinitatis sanctæ Oceanum; ad insinuandum nobis ex una parte, quòd nihil acceptum sit Deo, nisi adornetur gratis & meritis, quæ proficiscuntur è Passione Unigeniti Filii sui; quòdque in omnibus hominum actionibus, qualescunque illæ sint, Deus nihil videat magni, neque eximii, nisi quod recipiunt ex dignitate Passionis Redemptoris sui; & ex altera, quòd quidquid Iesus Christus habet excellentiarum, gratiarum & gloriæ in semetipso, & quidquid ex iis communicat hominibus, collimet ad gloriam sanctissimæ Trinitatis, quòdque sit recipiatio gloriæ pro altera gloria, quasi Iesus Christus diceret Patri suo: Tu mihi confers omnem gloriam interiorem & essentialem, quam possideo; & ego reddo tibi omnem, quam possides, gloriam exteriorem & accidentalem.

O Deus! quàm abundans debet esse gaudium animæ, quæ inauratam se videt quibusdam radiis Passionis Redemptoris sui,

modò oculis carnis non aspiciat Anima spiritalis honorati è Cruce, ut effundant se super nos oculis carnis sunt dolores, humiliationes, persecutiones, jacturæ bonorum, amicorum, sanitatis, infortunia, adversitates; & hoc, quod ita apparet ipsi, affligit ipsam, redditque ipsam miseram ac infelicem. Sed oculis fidei radii ipsius sunt magnificentia, splendores gloriæ, merita, coronæ, tamque ingentes felicitates, ut omnes mundi potestates ipsi parare non possint tantas; & anima, quæ ipsas ita aspicit, tota repletur gaudio, seque beatam æstimat, dum à cunctis hominibus carnalibus infelix æstimatur & misera.

Nonne hæc sublimis est Theologia magni Apostoli Pauli reducitur è tertio cælo, ubi clarè viderat gloriam Crucis Redemptoris sui. Prædicat, scribit, clamat ex abundantia cordis sui prorsus dilatato præ gaudio: *Abstine mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et S. Bonaventura Seraphicus hic Docteur continere non potest divinarum consolationum suarum abundantiam, accuratius ponderans hæc magni Apostoli verba. O mi Iesu, inquit, millenæ mihi sunt causæ gloriandi in te & per te, & centies millenæ mihi sunt gaudendi ex amore, quo me prosequeris, videns ea omnia, quæ

opprobriis Iesu Christi,

Galat. 6.

§§§§ 2

quæ



S. Bonavent.  
in stimulo di-  
vini amoris  
p. 1. c. 4.

quæ fecisti & tulisti ex amore  
mei in Cruce: Magna mihi quippe  
Domine gloriatio, quod pro me cæ-  
lum, terram, sidera, & alias inferio-  
res creaturas fecisti; sed multò sine  
comparatione mihi major gloriatio,  
quod pro me formam servi accipiens,  
factus es similis mei, me regens; me  
gubernans, me nutriens, me cunctis a-  
nimalibus præponens & exaltans: pro  
me autem factus es esuriens, sitiens,  
itinerans, & laborans, tantæque in-  
commoda patiens, ut penè univèrsa  
mundi mala sustinueris. Tu dulcissime  
Domine, omnia ista mihi non suffi-  
ciunt, nisi superaddas & vulnera tua.  
O bone Jesu! O chara spes! O dul-  
cis amor! Nonne è cælo lapsus es, ut  
me perditum quæreres, damnatum re-  
dimeres, ut me venditum sanguine tuo  
pretioso recuperares, ut me exulem à  
patria tuis sacratissimis vulneribus ad  
propria revocares! O dulcis Pastor!  
O cordium exhilarator, quid retri-  
buan tibi pro omnibus, quæ dedisti mihi?

Quomodo  
verum sit,  
quod maxi-  
ma causa no-  
bis gloriandi  
sit Passio Jesu  
Christi.

Gaudeo ex eo, quod omnes plas-  
maveris creaturas pro meo ser-  
vitio; sed gaudeo multò magis,  
quod ipsemet creatura fieri vo-  
lueris ex amore mei: gaudeo  
ex eo, quod me feceris ad ima-  
ginem tuam; sed magis adhuc  
gaudeo, quod formare te ipsum  
dignatus fueris ad similitudinem  
meam: gaudeo de omnibus  
bonis, quibus affecisti me; sed  
gloria mea, & gaudium meum  
longè majus est de omnibus ma-  
lis, quibus aggravare voluisti te-

metipsum ex amore erga me.  
Verum est, magnum esse gau-  
dium meum ex eo, quod præ-  
paraveris mihi thronum gloriæ  
pro æternitate in Regno tuo,  
sed longè majus experior gau-  
dium, quod è throno gloriæ tuæ  
descendere volueris super ter-  
ram, & exin ascendere super  
thronum Crucis tuæ ex amore  
mei. Ecce gloriam meam,  
ecce abundantiam gaudii mei,  
quod infinitæ Majestatis De-  
us, coram quo totus terrarum  
orbis minor est atomo, usque  
eò me amaverit, æstimaverit  
me tanti, ut agere & sufferre vo-  
luerit hæc omnia ex amore erga  
me. O quam omnis gloria,  
omne gaudium centies milleno-  
rum mundorum meis vilescit  
oculis in comparatione illius,  
quod possideo, dum intueor Ma-  
jestatem tantam, tam potenter  
mihi suum demonstrare amo-  
rem! Absit mihi gloriari nisi in Cru-  
ce Domini nostri Jesu Christi.

Sed an non capitis, inquebat,  
admonens nos illius, quod di-  
cebat, non capitis, quod verum  
gaudium, quo perfunditur ani-  
ma contemplans Passionem Jesu  
Christi, concernat propria ipsius  
commoda: exempli gratiâ; eò  
quod videat per illam se libera-  
tam à servitute peccati, à tyran-  
nide diaboli, à suppliciis infelicis  
æternitatis, & à pœnis, quibus ju-  
stitia Dei sæpe sæpius castigat  
pecca-

peccatores in hac vita : Fateor, ingentem esse causam gaudii reo capitis, quando obtinuit gratiam, & mancipio, quando suis se videt solutum catenis. Estimari potest magnitudo gaudii, quo perfusus est Agrippa, qui sex menses integros genuerat in carcere, ingenti oneratus catenâ ferreâ, ex mandato Imperatoris Tiberii, quando post hujus mortem à successore ipsius Cajo, quantocyus fuit exemptus ergastulo, solutus catenâ ferreâ, & aliâ ejusdem ponderis donatus aureâ, regiâ indutus stolâ, coronatus diademate & Rex proclamatus Judææ. Quam auspiciatus hic dies pro illo ! dubitari non potest, quin totus perfusus sit gaudio ; sed admiratione dignum, quòd hæc felicitatis tam inopinatæ abundantia ipsum non illico exuerit vitâ.

Joseph. lib. 18. antiquit. c. 8.  
Gaudium Agrippæ soluti e carcere, & collocati super thronum.

Maximum gaudium animæ extractæ ab inferno & elevatæ in cœlum.

Et nihilominus nihil prope modum hoc est, respectu felicitatis animæ Christianæ, quæ repente se videt morte Redemptoris sui extractam à profunda inferorum abyssu, ubi à peccatis suis, quæ præponderant cunctis catenis, ferreis captiva fuerat detenta & condemnata ad tolerandam atrocem mortem ignis infernalis, itâ, ut nulli creaturæ potestas esset sese exinde liberandi ; & in eodem instanti amictam denuò regiâ sanctificantis gratiæ purpurâ, adoptatam in Filiam

Dei, & coronatam Imperii æterni Reginam. Quis diffitebitur, quòd causa gaudii Regis Agrippæ, non fuerit nisi felicitatis atomus in comparatione ipsius ? si quidem quid sit illius ergastulum respectu inferni ? quid sint sex menses respectu æternitatis ? quid sit Regnum Judææ respectu Regni cœlorum ? Verum igitur est, quòd ipsa habeat ansam gaudendi summè, considerando inestimabilem felicitatem, quam recipit ex Passione & morte Redemptoris sui. Verum, si non videret, nisi illud, quod propria sua concernit commoda, hoc tanti non esset.

Vera, solida, & maxima causa gaudii ipsius est, gaudium Iesu Christi ipsius, qui in sinu Crucis suæ summo suo fruitur gaudio, sicut in sinu Patris sui æterni, summo suo fruitur gaudio increato. Quando lego magna hæc verba, quæ S. Paulus scribit ad Hebræos, loquens de Iesu Christo : *Qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptâ;* quod nimirum aspiciens gaudium, advolarit in sinum Crucis, nihil faciens confusionem : videtur mihi, quòd aspiciam ipsum transeuntem à magno quodam Oceano gaudii, ad Oceanum gaudii alterum. Unus est in sinu Patris sui, ubi recipit vitam æternam, alter est in sinu Crucis, ubi recipit mortem tempora-

Jesus Christus transit e sinu Patris sui ad sinum Crucis, velut ex uno Oceano gaudii in alterum.

Poralem : unus est gaudium quoddam divinum, refulgens magnificentiis gaudii infiniti; alter est æquè gaudium divinum (nam humanum non est) sed involutum omninò est confusionibus profundæ humiliati- nis. Et quando S. Paulus nobis dicit, quod ipse ita illectus fue- rit gaudio Crucis suæ, ut ipsius contempserit confusionem, in- finuare nobis voluit, quòd hoc gaudium, quo perfundebatur moriendo in Cruce, fuerit tan- tum, ut omnes confusiones, & opprobria Passionis ipsius, quæ videbantur horrendissima pro- brorum barathra, absorpta & de- glutita fuerint in immensitate gaudii ipsius, sicut parvula gutta aquæ in magna quadam for- nace.

Gaudebat JE-  
sus Christus,  
videns glo-  
riam Dei Patris  
sui reparatam.

Nihilominùs si in hoc creda-  
mus oculis corporalibus, non  
videmus nisi confusionem in  
Jesu Christo moriente supra  
Crucem, & non videmus gau-  
dium ipsius; sed econtra judica-  
remus, ipsum totum absorptum  
esse in tristitia. Ubi est ergò  
hoc gaudium, quod non appa-  
ret? Respondeo, illud nimis  
spirituale esse, nimisque purum,  
quàm ut percipiatur à nostris  
sensibus; insuper id nimis subli-  
me, nimisque amplum esse, quàm  
ut comprehendi possit à parva  
intellectùs nostri naturalis capa-  
citate. An comprehendere pos-

ses, quodnam potuerit esse gau-  
dium Filii Dei, dum aspexit om-  
nem infinitudinem infinitarum  
injuriarum, quibus cuncta pec-  
cata hominum divinum Patrem  
suum affecerunt, perfectè suâ re-  
paratam morte? An benè hoc  
comprehendas? an nôsti, quid  
sit infinita Majestas Dei? an nô-  
sti, quid sit infinita injuria, quam  
recipit à peccatis hominum? an  
nôsti, quantæ sit magnitudinis  
reparatio honoris, ubi Deus im-  
mortalis suam sacrificat vitam,  
ut pro honoraria inserviat mul-  
tâ? Benè judicas, hoc infinitâ  
ratione omnem transcendere cap-  
tum nostrum. Jam ecce quid  
constituerit causam & mensu-  
ram gaudii JEsu Christi, patien-  
tis in monte Calvarix; & quan-  
do bona quædam anima con-  
templando Passionem gaudere  
de gaudio JEsu Christi ipsius;  
ecce, undè ipsa veras gaudii sui  
desumat causas.

Sed, quando dices: Compre-  
hendere hoc non possum; an  
saltem non comprehendis, quæ  
esse potuerit ipsius abundantia  
gaudii, cum videret tot millio-  
num milliones animarum, qua-  
rum amore descenderat de cœ-  
lis, ereptarum à morte æterna,  
& inductarum in æternæ posses-  
sionem vitæ per mortem suam?  
an non conjicis, quæ esse potue-  
rit ipsius lætitia cordis, cum aspi-  
ceret tot ora aperta, ad cantan-  
dum

Gaudium JEsu  
Christi vide-  
tis animas  
peccatorum  
salvas,

dum in æternum laudes Dei Patris sui; quòdque sua aliquarum horarum tormenta, & sua nonnullorum momentorum mors tam speciosas producerent æternitates? nonnè benè judicas, quòd, si omnes in cælo Angeli tanto demulcentur gaudio, ob pœnitentiam unius duntaxat peccatoris se convertentis, ipsorum gaudium velut immensum esse debuerit, quando videbant hunc Deum - Hominem, qui portando supra semetipsum omnium peccata hominum, pro illis ipse solus publicam & universalem, tamque oculis divini Patris sui dolorosam egit pœnitentiam? & si gaudium Angelorum tantum est ob inæstimabilem hanc felicitatem hominum, an non credis, id incomparabiliter majus esse debuisse in corde Jesu Christi ipsius.

Gaudium anime bonæ patientis & movientis pro gloria Dei.

Et quando dices iterum: nescio & hoc comprehendere; resolve ergò tandem mente tuâ abundantiam sensibilem & palpabilem gaudiorum, quæ visibiliter apparebant in cunctis bonis animabus, vel quando ipsæ cooperatæ sunt ad conservationem alicujus peccatoris, vel quando ipsæmet conversæ sunt per veram pœnitentiam, vel quando sese exhaurerunt viribus, laborando pro gloria Dei, vel aliquis S. Paulus: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra;* vel

2. Cor. 7. 4.

quando constitutæ erant in mediis tormentis pro defensione fidei, velut innumeri Martyres, qui palam profitebantur, se nunquam tam splendide, tamque deliciosè epulatos esse. Et tandem omnes consolationes spirituales, quas omnes boni recipiunt homines, quando prompto bajulant animo Crucem Domini nostri, quarum iniri non potest numerus; quid sunt aliud, nisi parvæ guttulæ divini hujus gaudii, cujus totus Oceanus inclusus est in corde Jesu Christi crucifixi? siquidem quæcunque afflicta esse possit bona anima, unicus Jesu Christi crucifixi, & amore sui patientis aspectus ipsam roborat, animat & consolatur, uti quemlibet docere potest experientia; & incassum quæreretur aliunde solida consolatio: si hæc non hauriatur è Jesu Christo crucifixo, invenietur nunquam.

Hanc ob rem repræsentata hic tot insignia lætitiæ videtis; ex una quidem parte Choros Musicos, ex altera populosas catervas diversarum nationum jubulantium, manibusque plaudentium. Ecce tibi ex una parte Mariam sororem Moysis, quæ plurimarum est Ductrix fœminarum habentium in manibus suis cytharas, fittulas, & alia instrumenta Musica, ad efficiendum concentum & Symphoniam lætitiæ, postquam transierunt

Quomodo innumera anime trahant felicitatem suam & gaudium suum è Passione Jesu Christi.

runt

runt mare rubrum, & liberatæ sunt è captivitate Ægypti. Ex altera parte Nationes idololatrias plenas júbilo, quòd exsolatas se videant falsorum Deorum tyrannide: hic innumerabiles peccatorum converforum greges, qui replentur gaudio, quòd exoneratos se videant facinorum & criminum suorum jugo, ac restitutos libertati filiorum Dei. Et omnes defixos tenent oculos in Jesum Christum crucifixum, velut in fontem, unde omnem hanc gaudiorum se demulcentium hauriunt abundantiam.

Hæc ubi dicebat, converti quoque meos illuc oculos, & adverti exaratum aliquid esse supra vulnus lateris, quod magnum erat & valde apertum: propius accessi & legi ibidem hæc verba: *Intra in gaudium Domini tui.* Quid innuere hoc vult, mi Pater? non recordaris, inquit mihi, quòd Jesus Christus, loquens Apostolis suis de ardentissimo, quo ipsos prosequabatur, amore, & desiderio maximo, quo succendebatur inducendi ipsos omnes in possessionem vitæ æternæ, per mortem suam, amore plenissima hæc ipsis dixerit verba: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit.* Optaverat nempe, ut illi haberent in corde totum illud divinum gaudium, quo abundabat ipse in suo. Sed quia gaudium jucundus ef-

fectus est cordis, non exiens à suo principio, quem non parit nisi pro seipso, voluit cor suum aperiri ferro lanceæ, ut, cum gaudium suum proprium non posset exire & venire ad nos, nobis libertas esset intrandi in illud, ibique omnes nostras immergendi difficultates ac molestias, *Ut te in cavernam lateris recepto, ad omne consilium suum reciperet, & gaudiis admisceret.*

Petrus Abba  
Celleusis li  
19.

O Deus, fratres mei, dicebat nobis exin, magno cum spiritus fervore, & lacrymantibus oculis! quantâ percutiuntur omnes homines cœcitate! ubi quærunt consolationes suas, quibus felices reddantur & beati? ecce vobis portam prorsus apertam, quam ipsi non intrant. O si verum est, quòd aspicere solum à longè cor Jesu apertum in Cruce, ad effundendum in nos torrentes gratiarum, nobis afferat consolationem, sicut experiuntur omnes; quanto quis illi fit propior, tanto majori etiam perfunditur illius abundantia! sed cui obtingeret fors intrandi illuc per intimos animæ suæ affectus ibi commorandi, ibi suam figendi sedem, & nunquam amplius inde exundi! hic verba nos destituunt, & etiam illis opus non est, non oportet addiscere id ab alio, oportet id ipsum experiri: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.*

ARGU-

## ARGUMENTUM.

*Consideratio Passionis Domini emollit corda durissima, dat robur maximè infirmis, & accendit zelo plurimum negligentes.*

## ARTICULUS II.

**S**ed non crederem, objecit bonus noster Ecclesiasticus quòd meditarer Passionem Iesu Christi cum spiritu vere Christiano, si contemplando illam non nisi gaudii conciperem affectus: mallem oculos madere lacrymis, & tangi cor salutari compunctione, quam demulceri & dilatari gaudio.

Gaudium divinum bene stat cum lacrymis.

Verum est, reponit illicò Spiridion. Sed an nescis, quòd gaudium divinum, de quo loquor, incompatible non sit cum lacrymis? Si quæstio foret de gaudio purè naturali, & de lacrymis etiam naturalibus, probe novi, illa inter se non convenire. Verum hoc admirabile est, quòd omnes lacrymæ, quas spiritus Dei elicit ex anima, inseparabiles sint à magna quadam consolatione. Harum tria observo genera. Sunt lacrymæ gaudii, sunt lacrymæ compunctionis, sunt lacrymæ amoris. Et quia omnes dimanare possunt ex eadem scaturigine, id est, ex seriâ & devotâ consideratione Passionis Iesu Christi omnes quòque ex eadem scaturigine suum hauriunt gaudium.

Tria lacrymarum genera.

Quandò anima considerans Iesum Christum Crucifixum videt certitudinem æternæ suæ felicitatis: Ecce igitur flammæ æternas, quas promerueram, extinctas in perpetuum sanguine Redemptoris mei. Ecce igitur paradysum, qui apertus est mihi per sacratissima ipsius vulnera. Ecce igitur vitam æternam, quæ certâ est mihi per mortem ipsius; & hoc jam factum est. Erit verum in æternum, quòd Omnipotens Deus, quem adoro fecerit & tulerit hæc omnia pro me: ita ex amore mei prorsus indigni peccatoris, & vermiculi terræ. Non major mihi est certitudo, quòd Deus sit Deus quàm certitudo mihi sit, quòd hic sanguis infiniti valoris effusus sit pro me in particulari, & acquirendâ mihi vitâ æternâ. Habebo igitur illam infallibiliter, si participem me reddam gratiarum ipsius, quarum thesauros apertos habeo coram me. Ita, mi amabilissime Iesu, tu eoque amas me, certus sum de hoc, ut amem te æternaliter in cœlo. Si degustet ipsa admirabilem hanc veritatem, si benè ipsam

T t t t

com-

comprehendat, haud esse potest, quin experiatur quemdam in corde jubulum, qui dulciter manare faciat ex oculis lacrymas. Et ecce tibi lacrymas gaudii.

Lachrymæ  
compunctio-  
nis,

Verùm, si consideret: Quid obstrinxit te, ad amandum me tanto cum excessu, ô amantissimi mi Salvator? An quia promerui amorem tuum? potius tantis, quæ commisi, criminibus promerui odium. Imò potius, responderet is ipsi, tua fuisse crimina satellites, quæ confixerunt me cruci; dico, te ipsum esse, qui perforasti pedes meos & manus meas clavis, tantisque caput meum spinis, & ita dilaniasti Corpus meum virgis ac flagellis. Et dum ita in me sævis, ego id patior amore tui, ut in æternum te reddam beatum. An agnoscere quis posset se verum Auctorem tanti criminis, quòd mereretur conteri fulminibus cœli, & nihilominus videre amorem Redemptoris sui non aliter id ulcisci, nisi tantâ misericordiæ abundantiam? Quis intueri posset malitiam suam ita bonitate infinitâ amabilissimi Salvatoris sui devictam, & non sentire cor suum contritum compunctione & dolore maximo, quòd ita suas pretioso ipsius sanguine rigaverit manus.

Veni, Moyses, percutite petram hanc ligno, quod tuis constringis manibus, ut diffundat in

abundantiâ aquas. Non invoco illum veteris Testamenti Moysen: sed Tu ipse es, ô Jesu, Tu verus es Moyses, cujus alter non erat nisi figura. Vide duritiam cordis hujus lapidei, quod in scelerato meo circumfero pectore, & percutite illud salutari ligno Crucis tui, quam tuis amplectentibus manibus: percutite id bis, centies & toties, quoad tandem effundat aquas, abundantes lacrymas, ardenti expressas dolore, quòd te videat suffixum in Cruce. Ecce tibi lacrymas compunctionis, dimanantes ex amaritudine cordis afflicti. Sed nunquam anima veriori fruitur solatio, quàm quando ita se sentit afflictam, juxta illud Sancti Spiritus in divinis Scripturis oraculum: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ latificaverunt animam meam.* Ecce igitur adhuc inseparabile à lacrymis gaudium.

Denique sunt lacrymæ teneritudinis, siue amoris intimi quæ sunt illæ animarum innocentium, quas dulciter elicit amor ad solum & unicum intuitum Crucifixi sui Jesu. Nix longo tempore exponi non potest radiis solis, quin tota liquefiat & diffuat in aquam; nec animæ, quibus candor est nivis, subsistere possunt ad aspectum divini hujus solis, resplendentis in Cruce, in ardoribus plenæ meridiei

in-

Psal. 93.

Lacrymæ a-  
moris,

incomparabilis sui amoris, quin illicò solvantur in lacrymas, sed tam dulces & consolatorias, ut omnia terræ gaudia nonnisi tristitiæ sint & amaritudines in comparatione. Videre erat ex illis, quæ conficiebant ex his panem suum die ac nocte, degustantes in jucundo hoc convivio delicias Paradisi. Qui voluisset consolari illas, abstergendo ipsarum lacrymas, multò magis ipsas afflixisset: *Recedite à me, dixissent, amare flebo; nolite incumbere, ut consolemini me.* Absiste importuni consolatores, finite laxare fræna fletibus, recedite, finite me solam, nec obstate, quin meo fruar commodo, meæ dulcore amaritudinis; finite opportunè plorare me super dilectum meum amore mei Crucifixum.

Isaia 22,

Lacrymæ S. Dominici suscipit per Passionem Domini.

Sanctus Dominicus, sicut observat S. Antoninus, qui ipsius descripsit vitam, fecit ex oculis suis duos fontes lacrymarum, qui nunquam exsiccabantur. Ad unicum intuitum Crucifixi congreginabat tantà cum abundantia illas, ut madefaceret & irrigaret terram, percellens admiratione spectatores, quâ ratione tantas posset suppeditare lacrymas, tantam illarum profundere copiam; sed erant ex aquis illis cœlestibus, quæ nunquam cessarunt irrigare terram pluviis à mundi creatione.

Nôrunt omnes, quòd Seraphicus Pater Franciscus, cui aliæ non erant delicie in terris, nisi amaritudines Passionis Redemptoris sui, ploraverit tam abundanter, ut ex eo suos perdidit oculos. Medicus, qui probe videbat, cum exin perstringendum cœcitate, seriò adhortabatur ipsum, ut conservaret residuum visûs sui, quem amissurus erat ocyùs, si ita pergeret plorare. Mi frater, respondit ipsi Sanctus magno cum spiritus fervore: an voles, ut ad conservandos oculos carnis nobis communes cum muscis, desinam reddere saltem aquam pro sanguine tam copioso, quem effudit Salvator meus pro me in Cruce.

Affligebatur anima ipsius tanto doloris sensu ex Passione Jesu Christi, ut nunquam non quasi cogeretur effundere se in querelas & lamentabiles ciere clamores, quos continere non poterat. Oblungebatur ex hoc præsentiam vitare hominum, & loca quærere solitaria, ubi omnem affectibus suis dare posset libertatem, quibus emolliisset ipsas tygrides, & ipsas flexisset petras. Alloquebatur modò Jesum Christum, quasi præsentem intueretur ipsum oculis suis corporeis: Itane, mi Jesu, tu hæreas in Cruce, & ego absque cruce maneam; tu es innocentia ipsa, & pro me pateris scelerato? an necesse hoc

S. Franciscus deplorabat amarissimè Passionem Jesu Christi.

Tttt 2

erat



erat ad expiendam meorum multitudinem criminum? an videtis mea crimina, stragem, quam fecistis in Persona Salvatoris mei? Eheu! nonne melius fuisset, nunquam è nihilo produisse me? sed an opus his omnibus erat, amabilissime mi Jesu, ut ostenderes, quòd ames me? nimium hoc est, nimium hoc est; nam quòd ames me, novi nimium. Sed nonne nimium sit, mi Jesu, quòd plus me ames propriam vitam tuam? Cor meum, quid inquis ad hæc? ubi invenias amorem, ut tanto respondeas amoris excessui.

Et modò stupefcebat, quòd omnes creaturæ omnis expertes sensus non iisdem secum penetrarentur affectibus, quòdque omnes non effunderent lacrymas super mortem Creatoris sui. Volucres cæli non canite amplius, sed gemite; nonnisi in lugubres vestras voces solvite concentus, nonnisi threnos edite, nœnias cantate. Excelsæ arbores, quæ adedò in sublime vestra porrigitis cacumina, demittite vos, vestra dirumpite brachia, totas convertite vos in cruces, ad honorandum illam Jesu Christi. Et vos petræ diffundite vos, & sensibiles estote. Et dum loquebatur ipsis, aspiciens parvos rivulos inter petras illas dulci cum murmure dilabentes, credebatur id esse ipsarum gemitus, ipsa-

rum lacrymas suis conformes affectibus, suis non absimiles sensibus. Ah! petræ, quantum placeatis mihi! an igitur usque ad lacrymas commotæ estis: & fortiter intendens vocem suam: Ità, fratres mei, ô petræ, ploremus; egrediebatur exin Echo respondens ipsi: ploremus. Ingeminabat fortius: ploremus, ploremus; & Echo respondebat: ploremus, ploremus.

Et desuper percutiebat pectus suum. Ah! crudelis & insensate Franciscæ, an vides, quòd petræ, pro quibus non est mortuus Jesus Christus, vivaciori tangantur sensu mortis ipsius. Et obmutuit, dum interim oculi suarum deducebant fontes lacrymarum. Nobilis quidam vir illic transiens, & lamentabiles ipsius percipiens clamores, credebatur hunc miserum esse hominem trucidandum ab alio, occurrit, ut succurrat ipsi, & videns ipsum solum: Hem! inquit, quid habes mi Pater? quis ità affligit te? dic mihi, quid expetas, & mox consolabor te: *Non pro rebus temporalibus gemo, sed pro doloribus Domini mei; pendo grates de bona voluntate tua, terrena cuncta pendo nihili. Vis consolari me? ploremus simul super dolorosam & amorosissimam Passionem Domini nostri.*

Verùm si Passio Domini nostri Jesu Christi tantæ est efficacæ,

Consideratio  
Jesu patien-  
tis corroborat  
animas,

Hcb. 12.

cia, ut durissima emolliat corda, non tamen ideò debilitat & enervat illa, sed potius in morem potitionis cardiaca corroborat, ipsaque reddit invincibilia. Magnus Apostolus, qui probè noverat, vitam Christianam continuam esse militiam super terram, non alia suggerebat monita fidelibus, ad roborandum illos adversus multitudinem inimicorum, quibus cum lucta ipsius erat, quam cogitare & recogitare seriò cruciatus Passionis Jesu Christi: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Memineritis discipulum non esse supra Magistrum; cumque Jesus Christus sit Deus, quem adoratis, & Dominus, cui servitis, nimis quàm æquum est, ut prompto ac lubenti sufferatis animo amore ipsius illa, quæ ipse tam benignâ voluntate sustinuit amore vestri. Cogitate igitur apud vosmetipsos, sed cogitate sæpius & seriò; Recogitate. Consideratè henè, quas contradictiones, quasve persecutiones is sustinuerit à peccatoribus, & ne concidatis animo; sed potius confirmate vos, animate vos, vosque beatos æstimate, quando quid simile sufferetis amore ipsius.*

Quid mali obtingere tibi possit, quin videas multò majora

pertulisse Jesum Christum, amore tui tempore Passionis suæ? dicentur tibi convitia; ah! quot & quanta dicta sunt illi? excipieris sputis & colaphis in facie tua; & nonnè his ipsis ille exceptus est? maximo habebis despiciatui; sed ad illos, quos tulit ipse, an tuus accedat? cunctis spoliabere bonis, & exueris omnibus: sed an unquam tam nudus eris, uti is erat in Cruce, ubi ne quidem pellem suam habebat integram? inferentur tibi injuriæ, violentiæ, crudelitates; ad ipsam condemnaberis mortem, quantumvis innocens; sed an unquam tam innocens eris quàm ipse? & omnes injuriæ, quæ inferri tibi possunt, & ipsa mors, ad quam poteris condemnari, an tam crudeles, tam ignominiosæ erunt, sicut suæ? ubi est animus tam ignavus, ut conquæri audeat de pœnis, quas oportet tolerare, quando videt graviores multò toleratas esse à Redemptore suo? nonnè indignus, qui portet arma, foret miles, qui sequeretur Ducem suum cum repugnantia? & Christianus, an indignissimus non erit Religione, quam profitetur, si pati non velit cum Jesu Christo?

Phocion ducebatur ad mortem, quò etiam contendebat generosissimè, & Tudippas, qui ad idem condemnatus erat supplicium, maximo percelebatur

Tttt 3

hor-

Omnes nostræ  
afflictiones le-  
ves sunt com-  
paratæ cum  
illis Jesu  
Christi,

Magnus nobis est honor pati cum Jesu Christo.

horrore. Itane, ignave, contemiscis, dicebat ipsi Phocion? *An tibi non satis est cum Phocione mori?* nonne ingens tibi honor est, habere te moriendo me collegam? erat hoc maxima pro uno vanitas, & minimum pro altero solatium. Sed reipsa solidissimum solatium est & admirabile robur pro anima Christiana, quæ patitur, quando Jesus Christus alloquitur ipsam è Cruce sua: *An non tibi satis est pro Christo pati, pro Christo mori?* nonne maxima felicitas est, pati cum Jesu Christo, & major adhuc mori pro illo? an ignoras, quid is fecerit, quidve tulerit ex amore tui? hoc unicum sufficeret, quando aliud sperandum non foret post hanc vitam. Sed nôsti, coronas immortales ipsum tenere præparatas pro iis, qui patiuntur vel moriuntur amore illius:

Tertull ad veris. Gnost. c. 8.

*Hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari Passionibus Domini & Magistris.*

Bona anima tenens imaginem Jesu Christi patientis non audeat petere liberationem à dolore,

Bona quædam anima, quæ acutissimos sufferebat dolores, tempore alicujus infirmitatis, nunquam non in manu gerebat Crucifixi imaginem, quam aspicebat perpetuo; osculabatur sæpius vulnera ejus, & quandoque ad exemplum sanctæ Blandinæ dicebat, ad roborandum & animandum se in pœnis suis: *Christiana sum, Christiana sum. Dicebatur illi: Ecce non ob-*

Labata tom. 3. Verb. Christi Passio.

secras Dominum nostrum, ut mitiget paulisper dolores tuos? sed quâ fronte, respondebat ipsa, petere auderem non pati, aspiciens, quod tulerit ipse tam atrociam tormenta amore mei? Ipse asserit mihi in Evangelio, quod amet me, sicut divinus Pater suus amavit ipsum; agar igitur mecum, accipiat & excipiat me, sicut à divino Patre suo exceptus est, modo ipsi placeam, omninò sum contentissima, crucifigat me, sacrificet me juxta placitum suum. Et quid est id omne, quod pati possumus nos miseræ parvulæ creaturæ, respectu ejus, quod passus est Deus omnipotens amore nostri?

Aspicias admirabilem ipsius zelum? sed quicumque navat operam contemplandæ Passionis Jesu Christi, viva cum fide, & seria consideratione, impossibile est, quin sentiat se totum succensum sancto zelo gloriæ ipsius, & salutis animarum, pro quibus ceu pretium dedit vitam & sanguinem suum, quamvis vecordissimus mortalium foret in mundo. Magnus Apostolus scri-

Galat. 6. Quomodo S. Paulus crucifixus fuerit cum Jesu Christo,

S. Bernard. serm. 7. quædrages.

bebat ad Galatas: *quod crucifixus esset mundo, & mundus sibi.* S. Bernardus, qui probè affectus est sensum & affectum hujus vasis electionis, admiratur in hoc ingentem ipsius zelum, & pulchram hanc explanationem ipsius addit verbis. Sanctus Paulus erat cruci-

crucifixus mundo per magnum contemptum, quo mundus prosequatur ipsum, & mundus crucifixus erat sancto Paulo, per magnam compassionem, quâ afficiebatur, videns ipsum perire. Siquidem ipsum totum immersum videns criminibus, sibi que adhuc complacentem in malis suis: *Illis tam diu cruciatur & torquetur, ac si Cruci & patibulo affixus esset.*

Participes nos reddere debemus dolorem animæ Iesu Christi.

Participem se reddere sensibilibus dolorum Passionis Iesu Christi per pœnitentias corporales, velut jejunia, disciplinas, cilicia, bonus est zelus, quo plures animæ Christianæ effervescent. Sed affici doloribus animæ ipsius ob crudelitatem, quam peccata hominum exercent in ipsum; ecce tibi zelum magnorum Sanctorum, qui penetrantes usque in adorandum Sanctuarium animi ipsius clarè vident, afflictiones animæ suæ majores sine comparatione fuisse cunctis corporis sui suppliciis ac tormentis. Homines erant, qui torquebant corpus ipsius, sed peccata erant, quæ ipsius torquebant animam. Jam unicum peccatum, cujus malitia est infinita, crudelius est, quam fortitudo naturalis omnium simul hominum. Pauci carnifices torquebant corpus ipsius in Passione sua, sed infinita peccata affligebant & torquebant ipsius animam. Et hoc est, quod nun-

quam non succendit zelum maximorum Sanctorum, ad opponendum se ex totis viribus suis, excrecentibus peccatis hominum.

Simon Metaphrastes describens vitam sancti Martyris Pionii, affirmat, quod, cum esset in aliquo ergastulo totus oneratus catenis, non conquestus fuerit de pœnis suis corporalibus, sed potius hauserit ex illis solatium, probe gnarus, quod per illas arctius conjungeretur Iesu Christo. Sed intelligens, quod persecutionis rabies, quæ summa erat, terrore percelluerit multos Christianos, quodque indies nonnulli deferrent fidem, tam favos in corde suo experiebatur dolores, ut miserandum in modum exclamaret, quasi foret implexus rotæ, suisque cœlum pulsaret querelis. *Adjuva Domine, amplius non possum, dilaceror in frusta, discerpuntur mihi viscera; novo quotidie supplicii genere afficior, membratim namque concidor, dum candidas stellas à cauda Draconis in terram detrahi video. Non nisi semel Martyr extitit in corpore suo, sed quoties extitit talis in anima sua per dolores, quibus à suo torquebatur zelo incomparabiliter crudelius, quam ab omnibus cruciatibus corporis sui?*

Ecce quàm verum sit, quod attentè considerare Passionem Iesu

Jesu Christi durissima emolliat corda, quòd illa emolliendo ipsa quoque corroboret & virtutem conferat omnia, pro Christo patiendi; quòdque tandem illa in

propriæ utilitatis admittens societatem, ipsa sancto animet zelo, pro gloria sua & salute animarum, quæ steterunt ipsi sanguine suo, & vitâ suâ.

## ARGUMENTUM.

*Passio Jesu Christi est ingens liber, in quo anima Christiana addiscere potest omnes suas obligationes.*

### ARTICULUS III.

**A**Nimus noster æquè suas patitur infirmitates ac corpus nostrum. Una ex periculossimis est hydrops, ipsum insatiabilis sitis crucians tormento. Hydrops corporis credit, se suum invenire solatium bibendo multum; sed id ipsum est, quod infirmum occidit; quando omnes exhauriret fontes, suam non extingueret sitim. Hydrops animi, quo hic urgetur ad replendum se cunctis scientiarum generibus, impelleret ipsum ad devorandos omnes, qui in mundo sunt libros; sed quantò plus suam conatur extinguere sitim, tantò amplius ipsam accendit.

Petrarcha lib.  
II. de Remed.  
utriusque  
fort. dial. 42.

Petrarcha, qui noverat quemdam amicorum suorum summè hanc infirmitate vexatum, vi cuius inhiabat omnis generis codicibus ac libris, sacris & profanis, ut illos saltem in sua coacervaret Bibliotheca, si suo ipsos capite capere non posset, admittitur bonis suis monitis sanare ipsum.

Mi amice, quid facere cogitas? qui ingrederetur domum tuam, nonne crederet, te potius Librarium esse & Bibliopolam, quàm Doctorem? nonne dubitaretur an teneris desiderio sciendi, vel potius nesciendi omnia? an ignoras, quòd si paucorum, eorumque bonorum librorum lectio plurimos ad altam evexit sapientiam, multitudo librorum sine discretionè, sine selectu lectorum, non pauciores deduxerit ad stoliditatem. Ille, qui scire vult omnia, nihil scit, sicut ille, qui per omnis generis discurret vias, nusquam vadit. Divagari velle absque intermissione per mundum, & cuique obviam aliquod dicere verbum, & exin suam prosequi viam, non servit ad faciendum unquam cum aliquo vel amicitiam vel familiaritatem. Sic accidit iis, quibus ardor est legendi omnis generis libros, quorum aperire unum & quasdam ex eo legere lineas, & exin ipsum claudere

Abusus eorum, qui insatiabiles sunt in habendis & legendis omnibus generis libris.

dere

dere, ac illorum capere alterum, & sic continuare; hoc nulli bono est, nisi eos vidisse omnes, abs eo, quod perspectus aut cognitus sit vel unicus. Et post plura alia pulchra motiva ipsi proposita, suadet, ut abjectâ multitudine, quæ ipsum opprimat & confundat, bonum aliquem sibi eligat librum, illique intendat. Qui librum unum efficaciter elegisset, inutiliter multos aperit.

O quam verum hoc est, fratres mei, dicebat nobis desuper Spiridion, quam verum est, non opus esse Christiano, nisi unico bono libro, ut doctus evadat & sapiens! dico, sapientior cunctis hominibus, qui sunt in terris. Sed liber hic, quo indiget, non compositus est ab hominibus; conceptus is est in intellectu Dei ab æterno, & consistit nonnisi in unico solo verbo, quod includit in se omnes thesauros scientiæ & sapientiæ Dei. Impressus is est absque aliqua operatione humana, sed per donum Spiritus Sancti, in sinu purissimæ Virginis, quæ illum velut religavit, corporalem atque visibilem reddidit oculis nostris. Qui cum datus nobis esset adeo dives cunctis arcanis Divinitatis ab intus, impressus exinde fuit ab extra characteribus horrendis malitiæ peccati per manus peccatorum.

Hâc fermè ratione explicat S. Hieronymus. S. Hieronymus textum illum Apocalypseos, ubi sanctus Joannes dicit, quod viderit *librum scriptum intus & foris*. Jesus Christus, dicit S. Hieronymus, sed Jesus est liber scriptus intus & foris: ipse secretus est & publicus, apertus est & clausus; visibilis est oculis nostris corporeis ab extra, invisibilis est cunctis nostris luminibus & cognitionibus naturalibus ab intra. Qui legere & comprehendere posset omne id, quod scriptum est intus, nôset omne id, quod Deus novit in infinita amplitudine scientiæ suæ divinæ, & qui attentè legere volet, quod scriptum est foris in innumerabili hoc numero sævissimorum vulnerum, quæ recepit in corpore suo tempore Passionis suæ, cognosceret ex parte infinitam malitiam peccati, quod verus est carnifex, qui ita illum accepit.

Non capiebam, quod mihi dicebatur, peccatum tantam injuriam inferre Deo, ut, quantum in se est, totum destruat ipsum: credebam hoc simplicem tantum esse imaginationem, eò quod non verim Divinitatem esse invulnerabilem. Sed ut veritas hæc manifesta mihi & omnino fieret perspecta, sensibili vestire se voluit corpore. Ah! non amplius modò difficulter credo, quod peccatum modo infinitâ ratione

Uuuu indi-

indigno accipiat Deum in throno Majestatis suæ, quando video, quantâ barbarie & crudelitate accipiat ipsum in throno Crucis suæ. Video, quòd oneret ipsum opprobriis; video, quòd dilaniet ipsum virgis; video, quòd perforet ipsum spicis; video, quòd cooperiat ipsum plagis, quòd ipsum torqueat, quòd ipsum crucifigat, quòdque ipsi tandem cum sanguine suo eripiat vitam; & hæc infert & exhibet omnia propriæ Personæ Dei. Verum est, illud rabiem suam exercere non posse, nisi in solam Humanitatem ipsius, ad destruendum illam. Sed ex hoc cognosco genium & horrendam ipsius malitiam, & clarè video, quòd, si posset, non minus faceret propriæ ipsius Divinitati.

Deus semper ostendit odium, quo fertur in peccatum.

Nunquam non ostendit & manifestavit Deus infinitum odium, quo prosequitur peccatum, & quantum ab eo sese æstimet offensum. Ab initio mundi id attestantur milliones Angelorum præcipites acti è fastigio cœlorum in profundum inferni barathrum, ad ardens ibi in sempiternum ob peccatum unicum, quod non consistebat nisi in unica cogitatione superbiæ. Pro unico peccato commisso à primo homine, tota natura humana tractata fuit velut rea; condemnata, ut privaretur in æternum visione Dei, & omnes

homines onerarentur miseris, infirmitatibus, paupertate, infortuniis & omnis generis calamitatibus, toto decursu vitæ suæ. Deducitur id ipsum è diluviis, quæ universam submergunt terram; ex igne cœlesti, qui in cineres & favillas plures redegit civitates; è motibus terræ, qui concusserunt plures illarum, è pestilentiiis, quæ depopulantur Provincias & Regna; è bellis, quæ torrentium in morem, sanguinem effundunt humanum. O Deus! quanto odio prosequeris peccatum, quod tam severè castigas!

Verum hoc nondum est, quod magis luculenter ostendit odium infinitum, quo fertur in peccatum; lege illud in hoc libro scripto foris, JESU CHRISTO CRUCIFIXO. Ecce tibi proprium Filium Dei, quem infinitâ ratione amat; ecce tibi illum, qui tam pretiosus est ipsi, ut centies milleni milliones mundorum respectu ipsius nihili æstimentur ab ipso; melius fuisset, quòd omnia entia creata annihilata fuissent in æternum, quàm quòd tolerasset ipse levissimam, quam sustinuit pœnam. Nihilominus Deus Pater tradit ipsum morti, & morti crudelissimæ ac probrosissimæ, ad demonstrandum nobis magnitudinem odii, quo prosequitur peccatum. Impendat ipse omnia divitiæ suæ sapientiæ lumina, intendat omne divini sui  
bra-

Nunquam odium Dei erga peccatum melius apparuit, quàm in Passione JESU Christi.

brachii robur, invenire non poterit medium, ad declarandum magis hominibus horrorem peccati. Videte oculi mei, injuriam, quam peccatum meum infert Majestati Dei, quem adoro; legite illam in hoc libro scripto foris characteribus sanguinis sui; auferte omnes alios mihi libros; & legamus non nisi hunc solum, ipse semper apertus est oculis nostris; legamus, studeamus, profundissime desuper meditemur, addiscemus ex illo, quam fugiendum nobis sit peccatum. Et hæc obligationum nostrarum omnium præcipuarum est una, à qua plurimum dependet salus nostra.

Et quia amor Dei, qui inseparabilis est à vero odio peccati, omnium est prima, principalis, magisque indispensabilis animarum nostrarum obligatio; legite, nunquam videre poteritis illam magis visibilibus, magisque luculentis characteribus impressam, quam in libro hoc scripto foris:

S. Bernardus, *Vulnera hæc loquuntur pro me, quia diligo te.* Omnia ipsius vulnera sunt velut ora aperta, quæ loquuntur tibi adorandi sui sanguinis voce, tibi que dicunt: Ecce magnitudinem amoris mei erga te, penetrantis usque ad intima cordis mei, quod eo nomine teneo apertum, ut demonstrarem tibi illam. Aspice statum, quò redigi volui amore tui, &

in omnibus meis lege vulneribus, quòd verum sit, quòd amem te plus quam propriam vitam meam, & agnosce, quam obligatus sis amare me, plus quam omnes creaturas, & plus quam teipsum.

Asserebas Domine; majorem Amor hic tri- hanc dilectionem nemo habet, umphat de o- quam ut animam suam ponat dio, quis pro amicis suis. Sed quomodo tibi credam, cum videam, te fecisse multò plus, pretiosam vitam & animam tuam ponendo pro inimicis? nunquam odium peccatorum erga te ascendit sublimius, quam quando re ipsa suffixerunt te in Cruce; & nunquam amor tuus erga ipsos triumphavit majori cum splendore, quam quando re ipsa tuum effudisti sanguinem, ad delendum enorme crimen eorum, qui illum effundebant. Videte Angeli cælorum & tabescite præ admiratione; videte astra Firmamenti, accurrite cuncta; adeste omnes mundi populi, videte pugnam amoris & odii, bonitatis infinitæ, & malitiæ infinitæ Dei omnipotentis & execrandissimi peccati, ubi bonitas Dei triumphat de malitia omnium hominum, & amor ipsius transcendit ipsorum odium: Major D. Thom. 3, p. fuit charitas Christi patientis, quam q. 48. a. 2. malitia crucifigentium. O Deus! quale sit cor, quod non cedat potentie victoriosi hujus amoris,

Uuuuu 2 ris,



ris, Jesu morientis pro nobis in monte Calvariae.

Vos credere non vultis, dicebat Judæis, quòd solus Deus verus, quem adoratis, sit Pater meus: veniet aliquandò dies, quo videbitis clarè idipsum, quando tanti amoris perficiam opera, ut fassuri sitis ipsi impossibilia illa esse, nisi Deo soli infinità ratione bono; & hoc erit, quando configetis me Cruci: *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Siquidem, cum summè excreverit malitiæ vestræ abundantia, excrecet quoque desiderium meum & placitum meum effundendi super vos omnem bonitatis meæ & amoris mei munificentiam. Vos exaltabitis me super lignum ignominiae, & ego exaltabo vos supra thronum gloriæ: vos mortem inferetis mihi sævam, & ego vitam vobis conferam beatam; vos separabitis animam meam à corpore meo; & ego uniam animas vestras Deo, qui vera est vita: vos occludetis oculos meos lumini Solis visibilis, & ego aperiam vestros oculos luminoso splendore aternitatis: vos expelletis me è mundo; & ego extraham vos ex inferni abyssò: vos collocabitis me inter duos latrones, ut finiam ibi majori cum opprobrio vitam meam; & ego collocabo vos inter medios cœtus Angelorum, ut ma-

jori cum gloria ibi fruamini dulcore vitæ aternæ; vos perforabitis manus meas clavis, & ego utar illis, ut scribam vos in manibus meis, sicque nunquam obliviscar vestri: vos affigetis pedes meos ligno Crucis; & ego passu gigantæo curram post vos, ut lucrer animas vestras: vos transfigetis caput meum coronâ spineâ, & ego condecorabo caput vestrum coronâ gloriæ; vos irrisoriè dabitis mihi sceptrum ex arundine, & ego manus vestras communiam sceptrò Regni cœlorum. Tandem, vos aperietis mihi venas, ad extrahendum totum è corpore meo sanguinem; sed vos erucere nunquam poteritis è corde meo amorem, quo feror erga vos, nec ardens, quo succendor, desiderium salutis vestræ.

Quando videbitis hæc omnia, Passio Jesu Christi demonstrat, quòd sit Deus. cognoscetis quia ego sum: dicitis enim, impossibile esse omnino alteri, quam infinitæ bonitati Dei, sic vindicare de offensori- bus, & facere, ut superabundet gratia, ubi superabundavit delictum; & super omnia, quando videbitis, quòd sufferens hæc cuncta, id facturus non sim cum tædio, sed cursurus ad Passionem meam cum ardore, velut maximo abreptus desiderio, quod experior in corde meo, tradendi vitam meam temporalem, ut vitam vobis acquiram aternam:

*propter*

Joan. 8.

Admirabilis  
triumphus  
bonitatis Jesu  
Christi super  
malitiam Ju-  
dæorum.

Ephes. 2.

propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos. Quâ ratione legat anima magnas hasce veritates, quæ plenò meridie videntur clariores, in magno hoc libro foris scripto, quin toto ardenti succendatur desiderio adamandi tam perfectum amorem, sed adamandi illum usque ad tolerandum omnia, & usque ad moriendum amore illius.

Sanctissimus ille Episcopus Angliæ Joannes Fischerus, cuius Hieron. Poll. Hieronymus Pollinus describit vitam, zelum & Martyrium, non adeò procul distitum à diebus nostris; cum acciderit sub Regno Henrici VIII. qui postquam promeruerat gloriosum titulum defensoris Ecclesiæ, infamis ejusdem evasit persecutor. Sanctissimus hic Episcopus, quia subscribere noluerat impio Regis edicto, quo agnosci voluit pro Capite Ecclesiæ, condemnatus est ad mortem, diffuens lacrymis lætitiæ, quando suam intellexit sententiam. Ah! mi Iesu, an dignus ergò sim pati & mori pro te? eamus, absque mora, nec differamus momento: vix incedebat parvo innixus baculo, magnæ suæ senectutis ergò; sed ubi à longè aspexit locum & supplicii sui instrumentum, cor ipsius majori exarsit incendio, novas resumit vires, abjicit baculum, & magnis incedit passibus: *Eja pedes, officium*

agite, parum itineris restat; & exin habebimus coronam. Ne admiremini, sicut omnes fecerunt adstantes; hoc est, quòd absque intermissione legebat in magno hoc libro scripto intus & foris; & ex hoc addidit doctrinam perfecti amoris.

Quando non legeres hic aliud, Iesus Christus nisi horrorem peccati, & infinitum odium, quo prosequendum est; quando hic nil addisceres, nisi magnam amoris, quo fertur in te Iesus, abundantiam, & illius, quem ipsi debes, reciprocationem, hoc abundè sat esset, ut sapientior evaderes cunctis Doctoribus mundi. Sed quæ virtus, quæ perfectio, quæ sanctitas optari potest in Christiano, cujus non legas exempla infinita ratione perfecta in eximio hoc libro? cupis erudiri in obedientia? vide, quid S. Paulus tibi dicat, quòd fuerit obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; erat hoc mandatum, quòd receperat à Patre suo; unde incomparabiliter mavult perdere vitam, quam non implere obedientiam. Aves institui in humilitate, & amore contemptus, ignominiarum, opprobriorum & confusionum? Crux ipsius est cathedra, quò non videtur esse sublatus, nisi ut doceat universum orbem lectionem hanc magnam, quæ omnem confundat superbiam, omnemq; mundi

Uuuuu 3

vani-

vanitatem. Anhelas instrui in patientia? vide, an unicum ex ore ipsius prodeat verbum, nisi quo petat gratiam & indulgentiam pro iis, qui ipsum occidebant. Desideras addiscere paupertatem & exspoliationem omnium bonorum terrestrium? aspice, quomodo moriatur totus nudus in Cruce, vestitus duntaxat vulneribus suis & coopertus torrente sanguinis sui pretiosi, quo amiciebatur velut veste purpureâ. Unico verbo, quamcunque perfectionem exoptare poteris, stude & assiduam nava operam eximio huic libro, & hinc invenies summum omnium virtutum fastigium. Admirabile est, doctrinam hanc, quæ tam sublimis est, scriptam esse in exteriori hujus libri, semper expositam oculis omnium mortalium & simplicissimis quibusque intelligibilem, modò fide non careant & bonâ voluntate.

Sed quid cogitandum est de animabus spiritualibus, quæ mentis oculos satis habent illuminatos, ad legendum id, quod admirabilis hic liber complectitur intus. O Deus! si effari possent, quod ibi contemplantur! abyssus hinc sunt in abyssis, abyssus magnitudinum in abyssis abiectionum; infinita Majestas Dei immortalis immersa profundo nihilo peccatoris castigati à severissima justitia Dei. Quale spe-

Animæ spirituales, penetrantes usque ad interiora Jesu Christi, legunt hinc mirabilia.

ctaculum! infinita Sapiencia Dei accepta & adhibita velut stultitia! infinita pulchritudo Dei, cujus aspectu delectantur omnes Angeli cælorum, deformata spurcitiis, quæ horrorem concilient oculis! Sanctitas infinita Dei condemnata ad tolerandum supplicium sceleratissimorum, & moriendum in societate illorum! magnus Oceanus omnium gaudiorum in æternitate, immersus in abyssu tristitiæ, quâ rapitur usque ad lucem mortis! Omnipotens usque ad summam deductus infirmitatem! quale spectaculum! & ut verbo dicam, quod nunquam exprimi potest cunctis verbis mortalium, omnia conversa in nihilum, Deus moriens pro indignissima suarum creaturarum, quæ est peccator! In magnis hisce abyssis sese immergunt, seque perdunt omnes animæ contemplativæ: dico, quòd hinc se perdant, cum nesciant amplius, quid sint, quidve secum fiat.

Addiscunt hinc ipsæ sapientem stultitiam Crucis, quam omnis hominum comprehendere non potest sapientia. Concipiunt hinc & hauriunt ardentia illa desideria afflictionum, contemptuum, altissimæ paupertatis, exspoliationis ab omnibus creaturis, quibus impelluntur ad prosequendum odio id omne, quod plurimum diligit mundus, & requirendum

In interiori Jesu Christi ad discitur scientia Sanctorum.

rendum omne id, quod fugit is maxime: & æstimantur ipsi quandoque ceu insensati. Hic sublimissimi quique Doctores Ecclesie hauserunt divina hæc lumina, quæ admiramur in ipso- rum libris, quæque imbecillitas intellectus nostri naturalis comprehendere non potest, quamvis verum sit, hæc non esse nisi parvulas scintillas, eòquod impossibile ipsis fuerit explanare verbis, quod mens & intellectus ipsorum legere poterat in magno hoc libro scripto intus & foris, Iesu Christo Crucifixo. Moyses recedens à familiari colloquio cum Deo in monte, obmutuit: sanctus Paulus redux à raptu suo, quo deductus fuerat usque ad tertium cælum, affirmat sibi permillum non esse de iis, quæ viderat & audièrat loqui: & his, dum revertuntur è profundis abyssis interiorum Iesu Christi, non licet loqui: si quidquam de iis dicunt, non est id, quod viderunt, sed id, quod intelligere nos homines possumus.

S. Bonaventura doctrinam suam Seraphicam hauserit à Iesu Christo crucifixo.

Sanctus Thomas & sanctus Bonaventura erant coetanei, ambo magni Ecclesie Doctores, ambo magni Sancti, & ambo amici intimi. Unus nuncupatur Theologiae Angelus, & alter illius Seraphim: ambo admirabiles tum in suis luminibus & cognitionibus, tum in suis ardoribus & affectibus. Cum ali-

quandò sanctus Thomas visitationem impenderet sancto Bonaventuræ, petiit ab ipso: Rogo te, dic mihi, quinam est liber tuus particularis, unde desumis doctrinas tam sublimes, tanto plenas fervore, quas scribis. Ostendit ipsi effigiem Crucifixi, quam incessanter expositam habebat oculis: Ecce liber meus, quem lego sapièssimè, nihil scio, nihilque scribo, quod ex hoc non addiscam libro. Sanctus Paulus me id edocuit, quando ipsemet dixit: *Non iudicavi me scire aliquid 1. Cor. 2. v. 2. inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum.* Auferte mihi omnes alios mundi libros, modò hunc retineam, mihi sufficit.

Sanctus Philippus Benitius, Sanctus quidam Religio- splendidus sol Ordinis Servitarum, totà vitâ suâ non nisi huic studuit libro; & morti proximus, iamque spiritum redditurus Deo, oculos suos in aliquam Crucifixi imaginem, quæ stabat in mensa, tenebat defixos: exin illos aliquoties convertens in cælum, quantocyus revertebatur ad suum Crucifixum, & extendens manum instanter postulabat: *Dare mihi librum meum.* Religiosi, qui assistebant, non intelligentes, quid vellet, porrigebant ipsi, unus talem, alter alium librum; sed ipse respuens omnes, ardentius postulare pergebat: Rogo vos, date mihi librum meum. Aliquis advertens, ipsum non-

dam Religio- sus moriens petebat librum suum, id est, Crucifixum suum.

nonnisi oculos defixos habere in Crucifixum suum, hunc arreptum porrigit in manus ejus; sanctus Vir recipit hunc cum gaudio, eliciente ubertim suis ex oculis lacrymas, ipsum amplexatur cum reverentia & affectu tenerissimo similiter eliciente illas ex oculis circumstantium. Imò, ecce hic liber meus; nolui quid scire, nisi ipsum, toto tempore vitæ meæ, nolo scire nisi ipsum in omnem æternitatem meam, & feliciter reddidit animam suam in amplexu Redemptoris sui.

Colloquium hoc Spiridionis oblectabat nos summè, sed videns id protrahendum longius, & metuens, ne deferere cogemur primum hoc facellum, antequam omnia illius nobis exposuisset mysteria, interpellavi ipsum, & interrogavi, quid sibi vellent isti currus triumphales, quos depictos videbam ex ista parte, ubi videre erat tot victoriosos, totque devicta monstra. Benè judicare id poteris, respondit mihi, sed explicare id tibi fuis haud abnuo.

## ARGUMENTUM.

*Passio Jesu Christi est Armamentarium, unde desumimus omnia arma necessaria, ad superandos inimicos Salutis nostræ.*

### ARTICULUS IV.

Sola Crux Jesu Christi nobis sufficit contra omnes inimicos nostros.

**N**Osti probè, omnem vitæ nostræ cursum non esse nisi continuam militiam & pugnam, dum agimus super terram. Nec te lateat, ingentem esse numerum inimicorum, quibuscum nobis sit pugnandum, quique omnes moliantur exspoliare nos vitâ æternâ: aut vincendi sunt illi, aut pereundum nobis. Habemus mundum, carnem, diabolum. Per mundum intelligo spiritum & omnes damnandas regulas & leges sæculi. Per carnem intelligo cunctas passionem humanas, quæ se opponunt ra-

tioni & legi Dei. Per dæmonem intelligo totum infernum, qui abs intermissione contendit nobis eripere cælum.

Nobis ex nobisipsis desunt vires resistendi vel uni horum inimicorum soli; sed auxilium venit nobis è montibus sanctis. Jesus Christus, quem sanctus Paulus nuncupat virtutem Omnipotentem Dei Patris sui: *Christum Dei virtutem*, eo nomine descendit de cælis in terram, ut oppugnaret illos ac vinceret. Ipse primus arripuit arma, ipse docuit manus nostras ad præ-

I. Cor. I.

lium, & digitos nostros ad bellum, & vincere nos docuit exemplo suo & virtute sua. Sed quibus armis sperare possumus, ut ipsos vincamus, nili iisdem, quibus ipse usus est, cruce sua, passione sua.

Deus reddit  
Constantinum  
Magnum  
Victorem per  
Crucem.

Quando Deus liberare voluit Ecclesiam ab oppressione, quam toleravit ultra trecentos annos, sub crudeli persecutione Imperatorum idololatrarum, in qua aspicebat sanguinem fidelium torrentis in morem ubivis ferè effusum, in cunctis partibus mundi: quando Deus occludere voluit ingens hoc vulnus, quod effuderat velut sanguinis diluvium super terram, ad submergendum omnes falsos Deos, ac universam Gentilitatem, suamque in hoc consolari Ecclesiam, quòd habitura amplius non sit Imperatores sibi adversarios & inimicos, sed numeratura deinceps illos suos inter filios; operatus est prodigiosam conversionem Constantini Magni. Sed quamprimùm evalit is Christianus, obarmavit manus illius Deus armis Christianorum, docuitque ipsum, quàm ratione pugnandum sit, vincendum & triumphandum in militia Jesu Christi. Apparuit illi Crux in aère, tota circumfusa lumine, per cuncti-potentia hæc arma ipsi adpromittens victoriam: In hoc signo vinces; sicut refert Eusebius in vita magni hujus Principis.

Eusebius in  
vita Constant.  
lib. 1. c. 22.

Jam sic facit nobis omnibus. Adscripti sumus militiæ ipsius per sanctum Baptismum; sed eadem cæremonia coronat nos Imperatores & facit milites, nobisque impertitur arma ad vincendum, hæcque arma alia non sunt, nisi Crux sancta. Coronamur veluti Imperatores, quando baptizamus, eòquòd adoptemur in filios Dei, & hæredes Regni æterni, & gloriæ ipsius. Nonnè sit agere Imperatorem, dum recipimus unctionem sacram, & jus possidendi in æternum tale imperium? sed evadimus quoque milites, & capeffimus manibus arma ad pugnandum & vincendum, eòquòd cælum velit, ut per nostras acquiramus victorias magnum hoc imperium à bonitate Dei nobis destinatum: hinc est, quòd armemur cruce, dum baptizamus; imprimitur hoc signum nobis in fronte, in capite & super humeros, quasi Deus nobis diceret, quod magno Constantino: In hoc signo vinces: his armis evades victor de omnibus inimicis salutis tuæ.

Quare muniamur ubique signo Crucis in Baptismo nostro.

Nunquam quis benè illis usus est, qui non triumphaverit de mundo, & vanitatibus ejus, de carne & concupiscentiis ejus, de dæmonibus inferni, & cunctis malitiis eorum: omnes hi inimici æquali ratione devicti sunt per sola Crucis & Passionis Domini nostri arma. Sic vides, quòd

Xxxxx

quòd omnes isti Victores curribus triumphalibus insidentes, & tot devicta monstra post se trahentes, non alia in manibus suis deportent arma, nisi solas Cruces. Interroga ipsos, quâ ratione iis usi fuerint ad vincendum mundum, & dicent tibi:

Quomodo vincatur mundus per Crucem,

Quando oppugnabat me mundus suis armatus voluptatibus, suis honoribus, suis divitiis, suis vanitatibus, & cunctis suis illecebris, quæ blandiuntur sensibus, apprehendebam manibus Jesum Christum crucifixum, & interrogabam animam meam: nonnè hic Deus est, quem adoras, cuique fidelitatis fecisti iuramentum? nonnè Christianus sum, id est, discipulus & imitator Jesu Christi? si sum, si imitator ipsum si fidelitatem ipsi servo, Regnum æternum promissum est mihi pro præmio; & hoc certissimum est mihi. Si tantæ sum vecordix, tantæque perfidix, ut deseram ipsum, partesque mundi amplectar, maximi ipsius adversarii, æternus me expectat ignis in abyssu inferni, de quo dubitare non possum. Aspice, anima mea, pondera bene, quid tibi agendum: an tuæ renuntiare voles professioni? an infidelis esse tuo Regi, tuo Deo, tuo Creatori, tuo Redemptori, Omnipotenti huic Domino, cui servis, qui suis constringit manibus æterna vel præmia, vel supplicia.

Et quando ita efficaciter ro-

boravi animam meam seriâ consideratione Jesu Christi crucifixi, convertito me ad mundum, ipsûmque interrogo: quid præ tendis deceptor perfide? an voles, ut adorem Deum pauperem, & ego sim dives? an voles, ut humiliatum ipsum videam & contemptum, & ego gloriam aucuper & vanitates? an voles, ut intuear ipsum tolerantem amore mei tam horrendos cruciatus, & ego secter voluptates, qui solemniter sponendi, ipsum quòd velim sequi, ipsum imitari? si volueris insultare ipsi, ducendo vitam vitæ ipsius adeò oppositam, uti tenebræ opponuntur luci, apage infelix Anti-Christe, id est, jurate inimice Jesu Christi, tibi non adhæreo, tuas non amplector partes. Astutissima mundi sapientia non poterit respondere mihi ad hoc; si non assentitur mihi, saltem confunditur; oportet ipsum cedere, devictus manet, & ego contemno illum. Et hæc ratione devici mundum per Passionem Jesu Christi; ostendendo illi solùm Crucem ipsius, in fugam convertito ipsum haud aliter, quàm dæmonem.

Interroga ipsos, quomodo usi Quomodo vincatur caro per Crucem. sint eadem Cruce, ad superandam carnem & concupiscentias ejus, omnesque rebelles ipsius passiones. Dicent tibi, id factum esse, ponendo ipsi ob oculos horrendos cruciatus, quos Jesus Christus

Christus in toto sacratissimo per-  
pessus est corpore, ut sanaret in-  
ordinatos appetitus carnis, hu-  
manasque passiones; & dicendo  
ipsi: Ecce quantis concupiscen-  
tiæ tuæ steterint tormentis & cru-  
ciatibus Redemptori tuo: an ad-  
dere voles super dolorem vulne-  
rum ejus? apprehende igitur de  
novo virgas, iterum flagella ip-  
sum, effunde sanguinem ipsius  
abundantiùs, si velis, perge ab-  
strahere ipsi residuum pellis. Mi-  
norem longè ipsi inferes injuriam  
quàm annuendo infamibus con-  
cupiscentiarum tuarum deside-  
riis, eòquòd libenter toleraverit  
hæc omnia, ut ipsorum extin-  
gueret ardores & incendia. Non  
est tam vehemens voluptatis de-  
siderium, quod non extinguatur  
aspectu dolorum atrocium, quos  
Iesus Christus sustinuit in Cru-  
ce, à tempore Passionis suæ.

S. August. in  
Manuali c. 22. *Sanctus Augustinus, postquam  
id expertus est, exaratum id ip-  
sum reliquit in Manuali suo, ad  
attestandum id cunctis fidelibus.  
Cum me pulsat aliqua turpis co-  
gitatio, recurro ad vulnera Chri-  
sti: cum me premit caro mea,  
recordatione vulnerum Domini  
mei refurgo: cum diabolus mi-  
hi parat insidias, fugio ad viscera  
misericordiæ Domini mei, & re-  
cedit à me: si ardor libidinis mo-  
vet membra mea, recordatione  
vulnerum Domini nostri, Filii  
Dei extinguitur: in omnibus  
adversitatibus non inveni tam*

efficax remedium, quàm vulne-  
ra Christi: in illis dormio secu-  
rus & quiesco intrepidus.

Sed caro ratione caret, cum  
careat intellectu: sapiùs propo-  
nuntur ipsi incassum efficacissi-  
mæ rationes ac motiva: ipsa  
namque bestia est, quæ aliud non  
aucupatur, nisi ut effrœnatis suis  
appetitibus faciat satis. Verum  
est, sed quando hæc ratione agit  
bestiam, excipienda est ut bestia  
plagis & verberibus; & si consi-  
deratio Passionis Iesu Christi  
non movet ipsam, movebitur  
saltem actuali participatione do-  
lorum ejus, & evadet sapiens:  
habeatur sicut habuit sanctus Be-  
nedictus, qui volutavit ipsam in  
vepribus; habeatur sicut habuit  
S. Paulus qui flagellavit ipsam us-  
que ad sanguinem; habeatur, si-  
cut habuit sanctus Franciscus, &  
omnes fermè Sancti, qui maclâ-  
runt illam austeritatibus: bestia,  
quæ non ducitur ratione, cedit  
saltem verberibus. Et hæc ra-  
tione per Crucem & Passionem  
Iesu Christi superavimus carnem  
& concupiscentias ejus.

Opus non est interrogare il-  
los, quæ ratione vicerint diabo-  
lum & totum infernum ejusdem  
virtute Crucis; & quis ignorat,  
simplici Crucis signo ipsos con-  
teri, in fugam agi? magnus A-  
postolus in epistola ad Collossen-  
ses, postquam ad longum descri-  
pserat victorias reportatas à Chri-  
sto in Cruce, de inimicis salutis  
nostræ,

Xxxxx 2

nostræ,

Curandum est  
ut caro sentiat  
crucem, quæ  
ratio ne caret

Coloss. 2.



Quomodo  
vincatur dia-  
bolus per  
Crucem,

Origenes in  
cap. 8. Josue  
v. 29.

Diabolus  
confixus ad  
Crucem Jesu  
Christi.

nostræ, afferit tandem, quòd ex-  
spoliaverit Principatus & pote-  
states, id est, dæmones inferni,  
uti plerumque id exponunt san-  
cti Patres, quòdque palàm trium-  
phaverit de illis in omnium con-  
spectu mortalium, ut ostenderet  
illis stragem potentissimorum  
inimicorum animarum suarum.  
Super quod Origenes commen-  
tatus est, quòd Apostolus S. Pau-  
lus representare nobis voluerit  
Crucem Jesu Christi, velut cur-  
rum ipsius triumphalem, in quem  
gloriosus hic Victor elevatus in  
loco magis sublimi, & portans  
supra frontem titulum Regis, ca-  
ptivum & catenis implexum te-  
neat dæmonem ad pedes suos,  
velut devictum, qui nullam am-  
plius habeat potestatem. Sunt  
ambo, inquit ipse, in eandem suf-  
fixi Crucem: Jesus Christus  
omnino visibiliter, & diabolus  
invisibiliter: Jesus Christus ad  
tempus, exhibens illam velut  
suarum instrumentum victoria-  
rum; diabolus in æternum, por-  
tans illam velut sui instrumen-  
tum supplicii: Jesus Christus sa-  
cratus veluti magnes, armatus  
ferro ad manus & pedes, ut om-  
nia attrahat ad se illecebris amo-  
ris sui; diabolus horribile veluti  
monstrum, ut fugiatur, contem-  
natur, probrosè vincatur à cun-  
ctis animabus, volentibus uti  
adversus ipsum Crucem Domini  
nostræ.

Fraudulentus hic mendacii pa-  
ter intenderat perdere omnes per  
lignum homines, persuadens ho-  
mini primo, ut ederet de ligno  
& fructu vetito; sed suis ipsemet  
est captus cassibus, & dolo suo  
dolens in propriam est actus rui-  
nam, quando sapienti consilio &  
infinita bonitate Dei, omnes ho-  
mines vidit salvos, seque ipsum  
perditum per lignum sanctæ  
Crucis. Ipse superbus est Aman,  
qui postquam miræ altitudinis  
parari fecerat patibulum, ut in  
illo suspenderetur Mardocheus,  
vidit in eo ignominiosè sus-  
pensum semetipsum. Abbas  
Rupertus egregie hanc applicat  
historiam ruinæ dæmonis. Ecce  
tibi, inquit, magnum hunc ini-  
micum totius generis humani,  
homicidam hunc, qui in perso-  
na primi hominis totam ipsius  
occidit posteritatem: *Ipsum ho-*  
*micidam Deus vivens in suo ipse ma-*  
*chinamento strangulavit; nihil magis*  
probrosum, nihil magis intolerabile  
est dæmoni, quam dum de-  
victum & prostratum se videt  
Cruce nostri Domini, quòdque  
hominum imbecillimus in fu-  
gam agat ipsum simplici sanctæ  
Crucis signo.

Verum si signum Crucis, quæ Vera Crux,  
non nisi imago est, & quandoque  
imago duntaxat manu depicta  
in aere, ipsi tam est formidanda;  
quid ergo erit vera Crux actua-  
liter ab aliquo portata Christia-  
no?

Diabolus vi-  
cerat per li-  
gnum, & per  
lignum victus  
est.

Rupertus Ab-  
bas lib. 8. de  
victoria Verbi  
3.

quæ est affi-  
ctio, fortior  
est signo Cru-  
cis.

no? veram appello Crucem, imitationem quamdam vel participationem actualem Passionum Jesu Christi; afflictio quaedam admodum vehemens, magnus quidam contemptus, poenitentia quaedam austera, persecutio plurimum injusta, est bona quaedam portio & particula Crucis; quique portaverit hanc in se & super se, terribilis est demonibus, nil ita desiderantibus, quam omnes videre homines voluptatibus immersos, nihilque abhorrentibus magis, quam intueri illos afflictione quaedam, qua similes reddantur Jesu Christo, aggravatos & oppressos.

Viri austeri  
terrori sunt  
demonibus,  
ipsosque illu-  
dunt.

Quis nescit omnes antiquos Eremitas Patres, qui austeritatem fuerant prodigia, terrori fuisse demonibus? quoties catervatim se aggregarunt, ut solum oppugnarent sanctum Antonium, transformantes se in terribissimas omnis generis figuras, ut saltem terrore percellerent ipsum, si ipsi nocere non possent? & is contemptum valde adhibebat eos, exprobrans ipsis ignaviam recordiam & infirmitatem suam. Itane integris cum legionibus proceditis adversus unicum parvulum homuncionem? O quam bene ostenditis infirmitatem vestram? non opus foret nisi unico solo, adversus homines plurimos, si minimum haberetis ro-

bur contra servos Jesu Christi. Si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad proelium. Sed nihil contra ipsos potestis, eo quod unus solus potentior sit toto simul inferno, quamdiu adheret is Cruci Domini nostri.

Ecce, fratres mei, concludit Spiritus Triumphus Sanctorum per Crucem. quid innuere velint omnes hi currus triumphales, quos tot victoribus videtis onustos, alia manibus non portantes arma, nisi solas Cruces: haec sunt, quibus prostraverunt omnes salutis suae inimicos, quos representatos videtis in omnibus hisce monstris, quae alligata & veluti devicta jacent ad pedes eorum, servitura in perpetuum ad extollendum horum Victorum gloriam, utpote qui prevalere ipsis noverant cunctipotentibus armis Passionis amabilissimi Redemptoris nostri. Abunde satis hoc erat, ad persuadendum nobis, nihil esse efficacius, nihil utilius, nihilque magis consolatorium frequenti & seriae consideratione Passionis Jesu Christi. Percepta igitur tanta consolatione ex intuitu pimi hujus sacelli, instanter obsecravimus ipsum, ut eadem nos frui permetteret inspiciendo similiter residua. Remisit nos ad diem crastinum, & vidimus in secundo, quod percipietis.

XXXX 3

CON-